1

Oratio Leonardi Aretini viri prestantissimi oratorumque principis
habita in funere clarissimi viri Johannis Stroze equitis
Florentini

LEX fuit vetusta Solonis, ut opinor sapientissimi
viri a sapientissima quoque civitate comprobata
usu atque recepta, ut qui cives pro patria in
bellando interiissent, his publica domi publice celebrarentur
funera cum magnificentissimo tum vero apparatu tum etiam
dolorum. Res quidem erant ad pompam funeris accomodate,
verba autem ad laudem eorum qui interierant explicationem.
Prospexerat et eorum natis eadem lex, ut qui publice
civitatis soldem, publica educatione et cura atque omnium
rerum indulgentia civitatis eos prosequeretur. Provi
dentissima certe, atque optima lex dignaque Solonis et
auctoritate, qui et sapiens fuit unus ex septem
et legum lator solus e septem. Que enim utilior, que
ne honestior lex excogitari potest, que et honore et
allicit homines ad patriam defendendam, et cura parentum
levat orbatorum cura suscepta. Plerumque enim hominis et
fortes viros a periculis revocare solet, non tamen
sui ipsius formido, quam filiorum respectus, maximeque parvulorum,
quos destitutos facere, orbatosque relinquere nolle, contra
nature quodammodo legem videtur esse, que quos ipsi ad
geminum alendos nobis tuendosque prescribit. Nec
iusticia non, nec gratitudo maior esse ulla potest, quam
qui pro patria orbati sunt, eos filiorum loco a patria suscipi,
ut non detrimentum filiis gloriosa parentum mors,
sed amplitudinem et augumentum videatur attulisse.
Huius celeberrime laudatissimeque legis memoria ren
ovavit. Hunc in gloriosissima morte clarissimi viri
Johannis Stroze equitis Florentini, qui hoc bello, quod adversus
mediolanensium ducem civitas nostra Venetique nunc gerunt
bellans interiit, natosque reliquit etate parvulos, parentis
cura destitutos atque orbatos, caritate patrie anteferens et
natorum caritati. Ad cuius funus, qui illa convenit ora et

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0015

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG